



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium**

**Brusch, Kaspar**

**Nürnberg, 1682**

Ebracum, Ebrach/ ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38166**

26. *D. Elisabeta*, Comitissa de Wissenburg, præfuit anno Christi 1489.

27. *D. Catharina*, Baronissa à Zimbern, præfuit anno Christi 1499. ultima hujus collegii Abbatisa, quæ quinta Decembrium anni à nato Christo 1524. gubernationem consulibus & Senatu urbis Tigurinae resignans, accepta mediocri pensione annua nobili cuidam viro à Rischach nupsit. E regione hujus amplissimi & hodie in scholam mutati collegii est in editiore colle ultra fluvium Limagum insignis Basilica pro 24. Canoniceis, à Carolo, Francorum Rege, postea Magno cognominato, in honorem sanctorum Felicis, Regulæ & Exuperantii, constructa & amplissime dotata, annum Christi circiter 760. quo optimus Rex, venationi deditus, ab insigni quodam & admirandæ pulchritudinis cervo à Colonia Agrippina Tigurum usque in eum ipsum locum (in quo corpora horum sanctorum Dei martyrum requiescebant) pertractus esse legitur. In eo Canoniceorum amplissimo collegio hac tempestate à magistratu urbis Tigurinae omnis generis disciplinarum ac linguarum, facultatum item, Theologicæ videlicet, Medicæ, ac Juridicæ doctissimi professores, ut in amplissima aliqua Academia aluntur, qui variis in lucem editis, de omni doctrinarum genere, monumentis, notiores omnes sunt, quam ut mea celebratione opus habeant.

*Carolus Magnus. Summa Basilica Tigurina.*

*Chronologia  
Monasterio  
in Germania  
S. M.*

**E**BRACUM, *Ebrach* magnificum ac opulentissimum Cisterciensium monachorum cœnobium, in Ostrofrancis & Herbipolensi Diœcesi, quatuor miliaribus à Schweinfordia, in ipsa Ardua Sylva (vulgus *Steiger Wald* vocat) ad ejusdem nominis fluviolum, quem, ad alterius differentiam, minus *Ebrachium* nominant, situm, in quod omnium Herbipolensium Episcoporum corda, corporibus mortuis execta, quatuor pulchris equis honorifico currui præpositis avehi, & ibi in templi choro prope Domini corporis ædiculam honorifice tumulari solent: quodq; olim (rebus nimirum Wurzenburgensis Episcopatus nondum ad tantum

*Episcoporum Wurzenburgensium corda quodam modo tumulatur.*



fastigium erectis) ita opulentum fuisse autumant, ut, in annis proventibus, ipsi etiam Episcopatu prædicto (exempto saltem uno ovo, quo Episcopatus ditior existimabatur) par esse crederetur: id inquam fundatum est anno Christi 1126. sub Imperatore Lothario Saxone & Episcopo Wurzburgensi Embricone, à Bernone ac Richowino, militibus ac nobilibus fratribus de Eboraw, qui anno Domini 1119. cum consensu sororis Berthildis ex hoc castro suo Ebravv, latrocinatorum dira olim spelunca, domum præcationum facere statuerant. Horum ossa habentur in pereleganti S. Michaelis sacello, quod est ad latus dextrum majoris Basilicæ, & primum legitur ejus loci fuisse templum, septennii spacio ab ipsis fundatoribus erectum. Est in ejus cœnobii magnificentissima Basilica sepulta Domina Gertrudis Imperatrix, Conradi III. Rom. Regis conjunx, Berengarii Comitis de Sultzbach filia, quæ unâ cum Rege Conrado marito suo plurima obtulit & contulit ad celebriorem monasterii hujus exædificationem: in quo frequenter ipsa habitasse, & preciosas ibi vestes, sacris ministeriis utiles, propriis manibus ingeniosissime nevisse & adornasse dicitur, quæ hac adhuc ætate in ejusdem loci sacratio conservantur & adventantibus aliunde peregrinis ostenduntur. Tumulo ipsius Reginae superaddita est talis Inscriptio:

*D. Gertrudis Imperatrix.*

Hic jacet Regina Gertrudis, uxor quondam Conradi, Regis Romanorum hujus cœnobii fundatoris, translata in hanc tumulam à venerabili Abbate Nicolao, Anno 1169. quinto KL. Maji.

*Frid. Rotemburgius.*

Cubant in eodem hoc monasterio Fridericus, Suevorum dux, filius Conradi III. Regis, Rotemburgius cognominatus, cuius tumulo addita est hac sequens metrica epigraphe.

*Hic dux Suevorum Friderich, fotor monachorum,*

*Et Romanorum Regis natus jacet horum*

*Author fundorum; DEVS huic ita regna bonorum.*

XIV. KL. Septembrium Romæ Obiit.

*D. Irene, Imperatrix.*

Et Domina Irene, alio nomine *Maria* dicta, Alexii Constantinopolitani Imperatoris soror, Philippi Suevorum Ducis ac Romanorum Imperatoris, Bambergæ ab Othone, Dittelsbachiano Comite, trucidati, honestissima Conjunx. Nobiles item Comi-



Comites de Castel, quorum liberalitate ac eleemosynis Vogelsburgum, celebre Carmelitarum in Ostrofrancis coenobium, ad Moenum amnem conditum & constructum est. Imprimis vero D. Stuso Comes, & duo Friderici, senior ac junior, Comites de Castel. Vocant alii Ebracum hoc Loriense coenobium: sed quam ob causam, id haecenus scire & indagare nusquam potui. Habet Abbas ejus loci sub se & visitatione sua alias potentes Abbatis monachorum septem: Runam videlicet in Styria prope regale Graecium sitam & à Friderico Barbarossa olim fundatam: Lanckhenheimium in Voilandia montanis, de quo infra in litera L. Fontem Salutis in Marchionatu Brandenburgensi: Nepomungum in Boëmis: Aldersbachium in Bavaris: Bildhusium in Rhenensi tractu Ostrofrancis & Hessis vicino situm, ac Willershemium. Monialium vero tres, Coeli portam infra Wurezburgum, Schonavium in Silva Odonis, & Pirckhenfeldum prope Neostadium Aesti sitam.

Comites de Castel. Vogelsburgum.

Runa. Lanckheim. Fons Salutis. Nepomungum. Aldersbach. Bildhusium. Willershemium. Coeli portam. Schonaw. Pirckbenfeld.

Benefactores amplissimi hujus monasterii fuisse leguntur Comites de Castel, *Gulielmus*, Comes quidam de Hennenberg: *Ludovicus* Comes de Rinegk, qui decimas in Gremsdorff dedisse legitur: *Erhardus Fuchsus*, regulus Francicus, fundatore ejus facelli, quod primariae monasterii portae contiguum pene est. Is dedit monasterio castrum Schmalfeeldense. *Joannes*, Burggravius Noribergensis, & *Fridericus* Burggravius, qui dedit coenobio bona quaedam in Prugk & in oppido Schwabacensi. *Holdschuberi* item, Noribergensis Reip. Patres, imprimis vero *Fridericus Holdschuberus*, qui decessisse legitur anno Domini 1339. Ebraciq; in coemiterio, post summum chorum sito, sepultus est. D. item *Elisabeta*, Sifridi cujusdam *Holdschuberi* conjunx, quae obiit quinta feria post S. Michaelis festum anno 1365. eodem loco cum D. *Elisabeta*, *Liebharti Nützelii* Noribergensis Patricii uxore, (quae obiit anno 1370.) honorifice deposita & humata.

lersheimium. Coeli portam. Schonaw. Pirckbenfeld. Holdschuberi. Patricii Noribergenses. Nützelii Patricii.

Abbatum hujus loci talis à me congestus & ex variis diplomatibus ac chartis confusus est catalogus.

Catalogus Abbatum.

I. *Adamus* de Colonia Agrippina accersitur ad monasterium hujus gubernaculum anno Domini 1127. vir probatae virtutis

T

ac

Chronologia  
Monasterio  
in Germania  
S. III





ac sapientiæ: ita enim testantur de eo in epistolis quibusdam Divus Bernardus, & Alberinus, Abbas Cisterciensis. Præfuit pie & laudabiliter 34. annis. Construxit in septennii spacio Ecclesiam, quam Wurczburgensis Antistes Embrico anno Domini 1134. consecravit. Huic aliæ decem Cisterciensis instituti Abbatia, eodem ferè tempore in aliis Germaniæ provinciis erectæ, tanquam patri ac primario inspectori monasticæ vitæ ac disciplinæ commendatæ sunt, quas supra nominavimus. Datum est ei & fratribus summi monasterii Wurczburgensis, hodie Canonici, super concambio quodam ab Imperatore Conrado Suevo tale privilegium:

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, ejusdemq; inseparabilis Unitatis. Conradus, Dei gratia Romanorum Rex, secundus. Si antecessorum nostrorum, Regum seu Imperatorum, piæ devotionis limites prosequendo, ad cultum divinæ religionis, ecclesiis Dei in posterum provideri, & de statu ac profectu illarum, pro debito regiæ autoritatis opportune ordinare studerimus, id nobis tam ad præsentis vitæ tranquillitatem, quam ad futuram beatitudinem promerendam profuturum non ambigimus. Ea propter omnibus tam futuris quam præsentibus Christi fidelibus notum facimus, qualiter per manus filiorum nostrorum, *Henrici Junioris Regis & Friderici*, nec non fidelis nostri *Marquardi de Grumbach*, allodia quædam, quorum hæc nomina sunt Lubedrot, in Habrettelshausen superiori tredecim mansos, in Habrettelshausen inferiori quatuordecim mansos, in Hofenheim undecim mansos, in Weteringa totidem, in Hohufen, Wegenheim & Kenegkheim viginti mansos & duo molendina cum vineis ac nemoribus ibidem sitis, Wurczburgensi Ecclesiæ, ad altare S. ac preciosi martyris Chilian, in (a) majori monasterio, in perpetuos usus fratrum Deo servientium contradita & corroborata sunt, hac interjecta cautione, ut si qua ecclesiastica secularisve persona, justa ac rationabili causa, prælibata bona retraxerit & abstulerit, ac subtraxerit usibus prædictorum fratrum, fratres illi de Eberaw aliis bonis congruentibus jacturas illatas recompensent. Fratres vero supradicti pro allodiis sibi & Eccle-

Ratio pe-  
ne præci-  
pua tot  
fundato-  
rum mo-  
nasterio-  
rum.

(a) Id est,  
Canonico-  
rum  
collegio:  
olim enim  
omnium  
Canonico-  
rum



sive suae contraditis Curias Sulzheim & Grunbach Eberacensi  
 coenobio in usus fratrum, ibidem Deo servientium, in perpetuum  
 tenendas tradiderunt. Huic per manum filiorum nostrorum  
 factae traditioni Boppo Comes, Advocatus altaris majoris Eccle-  
 siae intererat, & Advocatiam omniaq; jura Advocatiae, quae de  
 praefatis bonis sibi & suis haeredibus perfolvenda deinceps fue-  
 runt, in usus fratrum praesignatorum resignavit. Nos vero re-  
 gali edicto hanc traditionem sancientes statuimus, ne aliqua ma-  
 gna vel parva persona in regno nostro Advocatiam illam vel jura  
 Advocatiae sibi usurpare praesumat, nisi quem communis fra-  
 trum voluntas, aliqua necessitate forte interveniente, sibi Advoca-  
 tum asciverit & super haec bona constituerit. Statuimus quoq;  
 ut nulli Episcoporum liceat ipsam Advocatiam seu jura Advoca-  
 tiae ipsius, Advocato supradictae Ecclesiae, seu cuiquam per-  
 sonae inbeneficiare, nisi fratrum consensu, votiva concordia &  
 unanimi petitione. Verum quia non decet nec fas est, ut per ca-  
 lumniam aliquam praesumatur munimini, quod sancitum est ju-  
 dicio principali, chartam praesentem, sigilli nostri titulis insigni-  
 tam, de concambiis his fieri & dari praecipimus, quatenus actio  
 causae hujus, signis & cadis, astipulationibusq; munita solemnibus  
 inviolata permanebit tam futuris, quam praesentibus. Testes  
 itaq; hujus rei sunt liberae conditionis viri, Adalbertus Marchio  
 de Saxonia, Boppo praefectus urbis & frater ejus Bertholdus Co-  
 mes: Sisso de Thuringia, Rupertus de Castello, & fratres ejus,  
 Hermannus & Albertus: Comes Ernestus de Thuringia, Frideri-  
 cus de Truhendingen & Adelbertus frater ejus: Mangoldus de  
 Tungdorff, Sigeboto de Scharfffeld, Conrad de Tungenden: Ru-  
 pertus de Froburg, Wolfram de Bobenberg, Wolfram de Wert-  
 heim: Diepertus de Spiegelberg, Fridericus de Buchele & alii  
 multi. Ministeriales vero hi sunt Richinus, Iringer, Bilugus, Bi-  
 linger, Ebelhartimut, Richolph, Engelbrecht, Gottebold, Gott-  
 frid, Henrich, Rudolphus, Erignus, Arnoldus & multi alii. Ego  
 Arnoldus Cancellarius vice Henrici Moguntini Archicancellarii  
 recognovi. Data Würzburg, anno Dñi 1149. regnante Conra-  
 do, Romanorum Rege secundo, anno regni ejus duodecimo.

*collegia  
 monaste-  
 ria fuisse  
 certum  
 est.*

*Proculdu-  
 bio Hen-  
 nenber-  
 genses.*

*1097  
 1100  
 1101  
 1102  
 1103  
 1104  
 1105*

T 2 Obiit

*Chronologia  
 monasterio  
 in Germania  
 S. M.*



Obiit Abbas Adamus anno Domini 1161. post die Cæciliæ Virginis, in Novembri. Sepelitur in sinistra templi abside, prope parietem sacrificiæ proximum, eo ipso loco, ubi hodie adhuc cernuntur posita esse ossa ejus loci Abbatum.

2. *Berengerus* Abbas (de quo nihil tamen omnino in fastos relatum est) creditur successisse D. Adamo, sed non diu præfuisse: itaq; in catalogis quibusdam non habetur.

3. *Burcardus* successit Berengero, sed quam diu præfuerit, aut quid præclari fecerit, non est à quoq; annotatum. Decessit ex hoc mortali seculo 18. KL. Maij.

4. *Nicolaus* præfuit anno Domini 1169. quo legitur condidisse & adornasse tumulum Gertrudis Reginae, ut supra.

5. *Hermannus* successit Nicolao. Huic Abbati Henricus VI. Imperator anno Domini 1194. privilegium dedit contra Henricum de Biebelriedt, Episcopum Würzburgensem, qui bona quædam cœnobii ad se rapuerat. Mandat vero ibi Imperator non restitutionem solum raptorum honorum integram, sed etiam, ne quisquam futuris temporibus Episcopus, Dux, Marchio aut Comes, nulla deniq; persona humilis aut alta, secularis vel ecclesiastica hanc Regiæ confirmationis & protectionis (cui soli subesse debeat Ebracensis Abbatia) paginam attentet infringere, aut Ebracenses fratres eorumq; possessiones aliquomodo inquietare. Præfuit hic Abbas anno etiam 1200. in cuius Junio incœpit ipse ex quadrato lapide construere præclaram illam Ebracensis templi & cœnobii Basilicam, quæ hodie adhuc integra conspicitur. Hæc tandem consecrata est quinta Iduum Septembris, anno 1285. ab Episcopo Würzburgensi, Bertholdo de Sternberg, qui in ejusdem magnificentissimi templi choro ad sinistram aræ maximæ honorifice humatus est cum tali partim soluta, partim ligata inscriptione: Anno Domini 1287. obiit Dominus Bertholdus, Würzburgensis Episcopus, pontificatus sui decimo tertio anno, decima octava KL. Decembrium.

*Bertholdus de Sternberg, episcopus Herbipolensis.*

*Cor jacet hac fossa, sine quo caro ni nihil ossa,  
Præsulis atq; ducis Würzburgi. Da loca lucis  
Bertholdo, Christe, quo sacratu locus iste,  
De Stella monte, dedit hoc munus quia sponte,*

Abbas



Abbas Hermannus decessit ex hac vita ad aliam 12. KL. Maij.

6. *Mengotus* successit Hermannō, sed quo anno, aut quamdiu ad clavum sederit, incertum est. Obiit nona KL. Augusti: aliud enim de eo extat nihil.

7. *Alhardus* Abbas assumitur in tuitionem Conradi Imperatoris, ejus videlicet, qui Friderici II. vel Neapolitani filius fuit, anno Domini 1240. Diploma tale est:

In nomine S. ac individuae Trinit. Conradus, Divi Augusti, Imperatoris Friderici filius, Dei gratia in Regem electus, semper Augustus & hæres regni Hierusalem. Regalis Excellentia hinc præcipue sui nominis titulos ampliat & extollit, cum loca divino cultui mancipata, & personas in eisdem Domino famulantes piamentis affectione in suis fovet juribus, & eorum supplicationibus favorabiliter sese inclinat. Hac siquidem ratione ad modernorum & futurorum plenam noticiam pervenire cupimus & protendi: quod nos ad supplicationem Alhardi, venerabilis Abbatis de Eberaw, suiq; conventus, Cisterciensis ordinis, fidelium nostrorum, salubriter ad imitationem vivorum progenitorum nostrorum, ipsam Ecclesiam Ebracensem cum personis & omnibus bonis suis, & specialiter cum prædio de Schwabach, cum attinente sibi parochia ejusq; pertinentiis, sub nostræ & Imperii protectionis præsidio assumimus, speciali autoritate paterna, qua fungimur, & nostra firmiter statuentes, ut, sicut Ordo Cisterciensis ab omni Advocatorum genere juxta primariam institutionem suam semper liber extitit & immunis, sic deinceps eadem Ecclesia (excepto solo Romanorum Imperatore) nulli prorsus Advocatorum (nisi cui voluntarie sese subiecerit, ita quod velle suum postea valeat immutare) per prædia & possessiones suas aliquatenus sit subiecta. Quocirca mandamus, per obtentum gratiæ Domini ac patris nostri, Romanorum Imperatoris Friderici, & nostræ, præcipientes firmiter & districtè, ut nulla sit persona humilis vel alta, ecclesiastica vel mundana, quæ prædictum monasterium & personas, in eo Domino famulantes, super præmissis prædio in Schwabach & Ecclesia prænotata cum suis pertinentiis præsumat vel audeat contra præsentem nostram gratiam

T 3

*Ebracensis Abbatia nulli Advocato, nisi Romano Imperatori subiecta.*



gratiam molestare. Quod qui præsumferit, indignationem nostram & Imperii se noverit incurrisse. Hujus rei testes sunt Hermannus Herbipolensis, Fridericus Eistettensis, Landolphus Wormaciensis, Episcopi: Henricus, Landgravius Thuringiæ, Gebehardus de Arnstein, Godefridus de Hohenlohe, Graffo de Bogksparg, Conradus, Pincerna de Winterstetten, Conradus de Sunnfeldt, Marquardus Butigularius de Noriberga, Conradus Notarius & alii quam plures. Acta anno Dominicæ Incarnationis 1240. mense Novemb. quarta decima Indictione. Data apud Nürnberg, mense & Indictione præscriptis feliciter.

8. *Winricus* Abbas præfuit anno Domini 1282. Construxit Würzburgi, ut in celebri sui seculi Academia, collegium vel domum studii pro monasticæ disciplinæ sectatoribus. Hæc domus privilegiatur à Joanne Abbate Cisterciensi & ab universo capitulo generali tali diplomate:

*Herbipoli  
olim Aca-  
demia,  
que post-  
ea Erfor-  
diam est  
translata*

In nomine Domini, Amen. Ad evidentiam rei perpetuæ, Nos frater Joannes, Abbas Cistercii, totusq; conventus Abbatum capituli generalis, præfenti definitione, tempore perpetuo duratura, statuimus, volumus & ordinamus: quod in domo studii apud Herbipolin per coabbatem nostrum de Eboraw construenda idem Abbas habeat, in loco & personis, eandem prorsus jurisdictionem, ordinationem & potestatem, quam Dominus Abbas Clarævallensis in studio S. Bernardi Parisiis, secundum formam ibidem primitus institutam, noscitur habuisse. Præterea ad bonum etiam statum ipsius studii promovendum statuimus & ordinamus, ut monachi, in eodem studio studendi gratia commorantes, iisdem libertatibus omnino gaudeant & juribus, quibus monachi studentes Parisiis hætenus sunt gavisi. In cujus rei perennem memoriam præfentes literas Abbati Ebracensi dedimus nostri sigilli munimine roboratas. Data apud Cistercium anno Domini 1284. tempore capituli generalis. Obiit *Winricus* Abbas quinta Iduum Aprilis.

9. *Hermannus* obiit pridie Nonarum Novembrium anni 1306.

10. Fri-



10. *Fridericus*, Landgravius Leuchtenburgius, patre Friderico, matre vero Domina Elisabeta, Comitissa Ortenburgensi, natus, ex Abbate Lanckheimensis cœnobii (cui non diu præfuit) Abbas Ebracensis designatus, præfuit Ebraci anno Domini 1315. Quo tempore floruit ibi, in veste ac professione monastica egregius & indefatigabilis librorum scriptor, Sifridus Vitulus. Consequutus est Fridericus iste omnium privilegiorum, suo cœnobio ab antecessoribus Imperatoribus concessorum, confirmationem ab Imperatore Ludovico Bavaro, Francofurti año Domini 1324. Vocatus est anno Dñi 1328. à Pontifice Max. Joanne XXII. ex Ebracensi Abbacia ad Aistetensis Episcopatus gubernationem, quam tamen (quod clero Aistetensi invidus esset) non diu tenuit. Obiit in arce Episcopatus, Hollnstein, prope Berchingum sita. Avehitur inde Ebracum initio, postea ad Waldsaßense Cisterciensis etiam instituti prænobile cœnobium, prope Egram civitatem regiam in terra Nariscorum situm, ubi in tumulum majorum ac parentum suorum, Landgraviorum Leuthenburgensium, honorifice positus ac terræ parenti redditus est.

11. *Albertus* successit ad Episcopatum Aistetensem discedenti Friderico. Præfuit annis sedecim. Decessit ex hoc mortali seculo anno Domini 1344. quarta iduum Augusti. Datum est ei privilegium ab Imperatore Ludovico Bavaro, Noribergæ anno Domini 1339. in quo scribitur, Othonem Wolffskheelium, Herbipolensem Episcopum, confessum esse, nullum se habere aliud Advocatiæ jus in Ebracense cœnobium, quam nomine Sacri Rom. Imp. In iisdem literis hæc Advocatia Imperiali auctoritate commendatur prædicto Episcopo Othoni, tandiu vero usurpanda nec diutius, quam ea vel opus habeat vel uti velit Abbas Ebracensis: addita insuper cautione, quod si Abbas Episcopum nolit amplius habere tutorem aut Advocatum, liberum ei sit alium à Romano Imperatore postulare. Hoc ipsum privilegium postea sequentes Imperatores, Carolus IV. anno Domini 1352. & Wenceslaus anno 1387. confirmarunt. Ferdinandus vero Romanorum, Germaniæ, Ungariæ & Bohemiæ Rex amplissimus, Archidux Austriæ nobilissimus, dato insigni

*Episcopus nullum habet Advocatiæ jus in Abbaciam Ebracensem.*  
*Ebracum ex-privilegium.*

*Chronologia  
Monasterio  
in Germania  
S. M.*



privilegio monasterium Ebracense, anno Domini 1544. ab omni, cum Moguntini Archiepiscopi, tum Herbipolensis Episcopi visitatione, reformatione, electione, depositione, correctione & confirmatione totaliter exemit, ut quod soli Ordinis visitatori & Sacro Rom. Imperio immediate subsit & subesse debeat semper.

12. *Henricus*, Alberto Abbati subrogatus, præfuit per quinquennium tantum. Obiit anno Domini 1349. octava Iduum Maii. Quis ei successerit, ignoratur.

13. *Otho*, matre Agnete, venatrice de Matrey, natus, præfuit ab anno 1366. annis novendecim. Obiit anno Domini 1385. sexta Iduum Junii. Sub hujus gubernatione Papa Gregorius XI. dato insigni privilegio, ita Ebracense hoc monasterium libertatibus & immunitatibus auxit, anno Pontificatus sui tertio, ne sub pœna excommunicationis quisquam Episcopus ausit aliquod jugum, exactiorem vel steuram, ut vocant, imponere ejus loci Abbati vel conventui, aut quicquam ab eis (ut visi nobis privilegii verbis etiam utamur) indebite extorquere. Privilegium hoc datum est apud Avinionem in Galliis.

14. *Petrus* successit immediate Abbati Othoni. Præfuit laudabiliter & utiliter annis octodecim. Exiit hominem mortalem anno Christi 1404. Sub ejus gubernatione magnam rerum suarum jacturam perpeffa est, præsertim in districtu Soltzheimensi Abbatia Ebracensis propter intestinum bellum, quod erat inter Gerhardum, Comitem de Schwartzburg, tunc temporis Wurzburgensem Episcopum, & præcipuas civitates Ostrofrancorum, Episcopatu subjectas: de quo cruento equidem & perniciosissimo bello civili plura lege in Episcopatibus nostris. In hoc bello desiit & ex Herbipoli translata est Academia Erfordiam, anno videlicet Domini 1394. Cœperat ea tempestate nuper adeo Gymnasium Heidelbergense, à Palatino Rheni Ruperto, Romanorum Regis Ruperti parente, fundatum ac dotatum, anno 1364. Ut haberent ergo religiosi studentes Ordinis Cisterciensis habitationem & singulare quasi collegium in nova ista Academia, incorporata est scholæ Heidelbergensi anno 1394. domus

*Translatio Herbipolensis Academiae.*

*Heidelbergense Gymnasium. S. Jacobi Domus Heidelberg.*



domus S. Jacobi, extra muros Eidelbergenses sita, quæ pertinebat ad Ebracensem hunc Abbatem.

15. *Henricus*, paterno cognomento *Heppius*, materno vero *Nublingus* dictus, matre Volcaide natus, Pius agnominatus, eligitur in Abbatem anno 1404. Præfuit viginti duobus annis in magna rerum sui cœnobii difficultate, propter supra dictum bellum civile, ita tamen laudabiliter, ita utiliter ac feliciter, ut merito secundus salutari debeat hujus Abbatia fundator. Ordinavit, ne quis cœnobita præter unum burfarium haberet loculum, ex quo solo, juxta Bernhærdinæ regulæ legem, cœteri omnes monachi necessaria peterent & sperarent. Emit anno Christi 1421. duobus millibus & quingentis florenis castrum vel curiam *Winckel* cum adjacentibus bonis. Contendit acriter cum *Winckel, curia.* Episcopo Wurzburgensi, Gerharo, anno 1411, qui adeo iniquus erat huic monasterio, ut uno die triginta sex monachi, ex Ebracensi Abbatia, ad alia Cisterciensis ordinis cœnobia in diversis locis sita aufugerent, tum quod premerentur graviter ab Episcopo, tum quod tenues essent factæ res Ebracenses in bello civili supra allegato. Hos omnes non tantum reduxit Henricus Abbas, sed ita præfuit diligenti & prudenti rerum œconomicarum inspectione, ut mox, quæ in bello perierant & abstracta erant, & recuperaret & refarciret pulcherrime. Anno 1415. misit ad Constantiense concilium unum ex cœnobitis suis, D. Bartholomæum sacrae paginae Doctorem, qui unus ex decem illis fuisse perhibetur, quorum sententia & judicio *Joannes Huss, Huss.* Boëmus, damnatus & igni adjudicatus est. Obiit plenus dierum, anno 1426. ipsa die S. Elisæ.

16. *Bartholomæus*, sacrae Theologiae Doctor & professor eximius, disputator omnium sui sæculi acerrimus, qui Philosophiam & S. literas didicerat in Academia Viennensi, ex qua Herbipolim vocatus ab Episcopo ejus urbis, publice illic sententias legit pro Doctoratu. Interfuit concilio Constantiensi, ad quod missus erat a suo Abbate. Ibi contra *Hussium* non disputavit tantam, sed finitivam etiam sententiam cum aliis novem, ad id deputatis, Doctoribus tulit de eo tollendo. Finito Concilio, cum

U

Johan-

*Chronologia  
Monasterio  
in Gemmat  
S. M*



Johanne à Fleckenstein, Episcopo Wormaciensi, ad terram sanctam proficiscitur, unde feliciter reversus eligitur tandem in Abbatem anno Salutis 1426. Præfuit 4. annis. Misit ad concilium Basiliense Albertum Kirsenlooher, cœnobitam quendam suum, artium Magistrum, virum prudentia & eloquentia præstantem. Obiit tandem octava Kal. Junii anno Domini 1430.

Ebrach,  
cœnob.

17. *Hermannus*, de Kottenheim, vir prudens & autoritatis singularis, successit Bartholomæo rebus humanis exempto. Præfuit septem annis, & diffortunii quiddam sentiens cessit furenti ac novercanti fortunæ, Abbatiamq; etsi invitus resignavit. Obiit autem & humatus est in Fontium salutarium cœnobio (ubi reliquum vitæ privatus exegit) anno Gratiae 1447. Redemerat in Basiliensi synodo cœnobium Ebracense à communi servitio Papæ, electionesq; Abbatum impetrarat liberas ab omni pecuniaria aut privilegiaria ratificatione, cum antea semper pro novi Abbatis creatione & confirmatione Camerae Papali numerandi & numerati fuissent aurei trecenti.

18. Henricus  
Wildius

18. *Henricus Wildius* eligitur in locum Hermanni an. 1437. Præfuit utiliter & summa cum laude per decennium. Erat vir magnæ & erectæ conscientiæ, sciens & spiritualem & temporalem statum præclare regere; unde non mediocriter sub ejus clavo coepit erigere sese status monasterii temporalis. Ipse enim Ebracensi suo cœnobio emit decimas in Meinstockheim, amplo ac celebri pago, ad Mœnum amnem sito: quin decimas in Buchbrunn pago. Ædificavit vero etiam Curiam in Schweinfordia, civitate vicina Imperiali, & aliam Curiam in oppido Volckachiano. Domi construxit Bibliothecam, Custoriam, ac magnum quoddam horreum ad conservandas fruges. Tandem decrepitus & surdus effectus reddidit Abbatiam sua sponte his, à quibus eam antea acceperat gubernandam, conventualibus etiam omnibus reclamantibus & diutius eum ad clavum sedere volentibus. Idque fecit anno Salutis 1447. Obiit tandem anno Domini 1454. septimo videlicet à resignatione. Sub ejus gubernatione præcipitem sese dedit de summa ecclesia Joannes Kobergerus diaconus, qui in vicino agro terræ parenti redditus est.

Diaconus  
Koberger.

19. Hen-



19. *Henricus Blumentrosti* substituitur *Henrico Wildio* anno 1447. Præfuit annis octo. Erat vir, ut illa tempora patiebantur, mediocriter doctus & S. Theologiæ Baccalaureus formatus, rhetor egregius, orator celebris, & qui multa scripsit ad Academias, Viennensem & Heidelbergensem: monasteriorumq; utriusq; Pannoniæ, Bavaricæ & Franciæ Orientalis visitator erat strenuus ac severissimus. Obiit in Januario anno 1455.

20. *Burcardus*, vir formosus corpore, formosior verò animo (nam in omnes bonos pius, in omnes beneficus fuit) successit *Henrico*. Præfuit annis ferè 19. Fuit cœnobii sui rector diligens, illustrator vero maximus, quod argenteis clinodiis & preciosis vestibus auxit plurimum. Construxit novum Infirmitorium ex imis fundamentis. Sub ejus gubernatione plurimi cœnobitæ ex Ebraco evocati sunt ad exterarum Abbatiarum regimen, *Henricus* videlicet *Schollius* ad S. Gothardi Abbatiam Hungaricam: *Hermannus Molitor* ad *Runam*, ubi fructuose præfuit 30. annis: *Joannes Pluher* ad *Alderspachium*: *Joannes Polejus*, S. Theologiæ professor eximius, ad S. Crucis Austriacum cœnobium: & *Jodocus Rosnerus*, Prior ad *Pellisum*, Ungariæ monasterium, ubi non Abbas tantum, sed totius etiam ordinis reformator designatus est per totam inferiorem Pannoniam. Sub hoc ipso Abbate *Burcardo* funditus destructum est à *Joanne Grumbachio*, Episcopo Würzburgensi, anno Domini 1462. *Brisenstadium* vel *Brichsenstadium* oppidum, infra vel ante *Arduam Sylvam* situm, quod hodie *Brandenburgensibus* Marchionibus paret. Quæ fuerit tantæ everfionis ratio, ignoratur. Ego in bellis civilibus factum esse arbitror, inter duos *Moguntini Archiepiscopatus* acerrimos competitores, *Dietherum Eisenburgium* & *Adolphum Anaxovianum* non vulgari rerum & Archiepiscopatus & *Franconiæ* jactura gestis: de quibus consule *Episcopatus* nostros. Obiit Abbas *Burcardus* decima quinta Kalend. Octobrium anni 1474.

21. *Joannes*, cognomento *Mercator*, patria *Herbiploensis*, S. Theosophiæ eximius sua ætate Doctor & per octennium in inclita *Viennensi Academia* ordinarius ejusdem professor, Impera-

Chronologia  
Monasteria  
S. III

S. Gothardi Abbatia Runa.  
Alderspach.  
S. Crucis Abbatia in Austria.  
Pellisum.  
Brisenstadt.



Imperatoris Maximiliani confessor, vir apprime doctus ac prudens, in victu & vestitu humilimus, eligitur in Abbatem Ebracensem anno Domini 1474. Sedit utiliter & laudabiliter ad gubernaculum annis quindecim. Construxit domum vel Curiam *Noribergensem*. Obiit anno Christi 1489. Sepelitur Ebraci.

22. *Nicolaus Angeli*, Regiomontanus, successit Joanni, vir procera corporis statura præditus, artium Philosophiæ doctus Magister & Professor earundem imprimis diligens. Præfuit annis. Construxit hibernum refectorium, & majorem domum Abbatiae, Curiamq; in Elgersheimio, oppidulo ad Moenum amnem infra Volceachium sito. Resignavit Abbatiam, etsi invirtus, anno Domini 1495. reliquum vitæ privatus exigens in superiori parte infirmitorii, exigua pensione contentus. Obiit postea in Decembri anni 1509.

23. *Vitus Fendius*, ex Ippshiofen Episcopali oppido natus, præficitur Abbatiae anno 1495. Præfuit annis octo. Obiit Bambergæ 2. Calendarum Septembrium anni 1503. Habuit Priorem, *Joannem Nublingum*, Theologiæ eximium Professore, & Eidelbergensis Academiae alumnus, cujus extant adhuc quaedam scripta.

24. *Joannes Lauterbachius*, ex Burgwindheim, amplissimo pago ad minorem Ebrachium fluviolum sito, natus, successit Vito, vir procera ac robusta coporis statura præditus, ingenio nemini secundus. Præfuit is laudabiliter annis 26. Sub ejus gubernatione vastatur totum penè coenobium, excepto templo sumo, cujus tamen ne imaginibus quidem ac statuis parsum est in seditiosa plebis rusticæ conjuratione, quod ipse primus instaurare cœpit, usus ad id imprimis consilio & opera Conradi Hartmanni burfarii sui. Exauthoratur anno Domini 1529. propter discordiam, quæ nata erat inter coenobitas Ebracenses & Episcopum Wirtzburgensem, Conradum à Tungen. Obiit tandem tertia Kal. Augusti, anno Christi 1533.

25. *Joannes Lupi*, ex Zeyl, Franconico oppido ad Moenum amnem sito, oriundus, vir doctus, religiosus, sed & pius ac vitæ moderatissimæ, eligitur 10. Februarii anno 1529. Præfuit & pro-



profuit cenobio suo per annos undecim, quibus unà cum ma-  
jore burfario vel œconomo, Domino Conrado Hartmanno, suc-  
cessore suo, præclare cœpit instaurare & refarcire monasterium à  
feditiosis agricolarum cohortibus miserrime desolatum. Obit  
anno Domini 1540. septima Calendarum Septembrium. Sepe-  
litur cum tali epitaphio, cujus author fuit Magister *Christophorus*  
*Pfnorius*, juniorum ejusdem loci monachorum pædagogus.

*Virtutum exemplar, pius altor religionis,*

*Mundane spector glorie, esq; potens.*

*Qui sancte authorum servavit scita suorum,*

*Hanc etiam legem fratribus Abba dedit.*

*Invida non grandi hunc sine luctu fata suorum*

*Atro clausere hoc, prob dolor, in tumulo.*

*Spiritus ipsius ut potiatur pace piorum,*

*Optabis, lector, cœlicolũq; choro.*

26. *Conradus Hartmannus*, ex Schwinfurto, imperiãli civita-  
tate ad Moenum sita, natus, vir & morum gravitate singulari & li-  
terarum cognitione multifaria conspicuus, eligitur ex œconomo  
vel majore burfario in Abbatem, 21. Octobrium anni 1540. Vi-  
dit non sine summo animi dolore cenobium in rusticana sedi-  
tione misere conflagrare & penè universum in cineres collabi,  
quod ipse postea, etsi non totum, ita tamen fideliter & laudabi-  
liter instauravit, ut qui secundarium eum fundatorem ejus ap-  
pellarit, non debeat, quasi de dicto mendacio, pudore aut rubore  
suffundi. Præfidet hoc adhuc currente Jubilæo feliciter, quo  
ejus tumulum rogatus tali schediasmate heroico, si non ornavi,  
tamen onerare non dubitavi.

*His nos legibus hanc in vitam nascimur omnes,*

*Ut breve post tempus rursus moriamur & omnes.*

*At ne nos ævum miseri moriamur in omne,*

*Mortuus est unus, cujus mortalibus est mors.*

*Omnibus infinita, augusta, æternaq; vita.*

*Hæc mihi mors etiam profit tua, Christe Redemptor.*

*Quod te per teipsum Conradus testor & oro.*

*Pæq; tui meriti decus omne, loci istius Abbas.*

U 3

Est

*Chronologia  
Monasterio  
in Gemma  
S. III*



Est in ejusdem humanissimi Abbatis gratiam de everfione  
& instauratione hujus elegantissimi monasterii aliud etiam à me  
lufum heroicum idyllion: id huic ipsi loco inferendum quoq;  
existimavi.

Annus Virginis à partu millefimus ibat  
Quingentesimus & vicefimus ordine quintus,  
Seditiosa cohors fureret cum Francica totis  
Urbibus atq; agris. Domus est tunc temporis ista  
Tota etiam cunctis cum partibus agricoliarum  
Devastata manu violenta odiisq; malignis:  
Sola domus superesset ut illa superstes, habere  
Quam solitus fuerat silvarum inspector & hujus  
Vicini nemoris custos lectusq; magister.

Præfuit huic Abbas domui tunc ipse Joannes  
Lautterbachius, ex Burgwindheim natus, honestus  
Imprimis Dominus, qui rursus coepit eandem  
Construere & reparare recens, adjutus ab ipso  
Temporis ejusdem ceconomo fidoq; bonoq;  
Conrado Hartmanno, genuit Schweinfordica mater  
Quem pietate virum & multa virtute coruscum.  
Qui quamvis tantum sub & hoc alioq; Joanne  
Successore domus sacre bursarius esset,  
Præcipuus tamen idem erat inspectorq; paterq;  
Inceptorum operum, donec quadragesimus annus  
Abbatem hunc ipsum faceret quoq; Carolus ipse  
Quo venit Cesar rursus in Germanica regna.

Is Conradus ubiq; locum instauravit & ejus  
Omnigenas partes vigili studio atq; labore,  
Ut non immerito fundator forte secundus  
Ejusdem dici possit. Tu, lector, eundem  
Commendato Deo votis precibusq; Parenti,  
Ipsius & Gnato, qui unâ cum Flamine sacro  
Cumq; Parente suo immortalis trinus & unus  
Ardua totius regit omnia climata mundi.



Consequutus est Abbas Conradus privilegium ab Imperatore Divo Carolo V. anno 1544. & aliud iterum sequente anno, ubi scriptis è Wörmatia ad Reverendissimum Principem ac D. D. Melchiorum Zobelium, Episcopum Herbipolensem ac Ducem Ostrofrancorum, literis mandat Imperator, ut Episcopus coenobium Ebracense, in veterum jurium ac privilegiorum possessionibus, immolestatum esse ac quietum manere sinat. Si vero aliquid se Episcopus juris Ebraci habere existimet, ut ordinarie id quaerat, locis nimirum ad ejusmodi negotia deputatis. Jus vero tuitionis & advocatiæ in hanc Abbatiam ad alium neminem quam ad Romanorum Imperatorem vel Regem pertinere, semperq; voluntarium ac liberum fuisse, ita ut Abbas pro coenobii commoditate petierit à Romano Imperatore, quemcumq; sibi Advocatum idoneum & utilem fore existimavit, & quotiescumq; datus aut assumptus aliquis Advocatus displicere cœpit, Abbas liberam habuerit semper potestatem alium ab Imperatore postulandi. Exempla hic aliqua, ex monasterii annalibus deprompta, recitemus, ex quibus id ita ab annis ducentis observatum esse, luculenter patebit.

Anno Domini 1336. dedit Ludovicus Bavarus Ebracensibus tutorem & Advocatum, Othonem Wolfiskheelum, Episcopum Herbipolensem: postea anno 1338. recepta Advocatia ab Episcopo, contulit eam Abbati Fuldensi, Henrico Homburgio, Joanni Burggravio Noribergensi, Ludovico Comiti de Altaflamma, & Conrado Comiti à Schlüsselberg. Anno sequenti iterum Advocatum fecit (ut supra etiam habitum est) Othonem Wolfiskheelum. Anno vero 1362. dedit Carolus IV. Marchionem Fridericum: anno 1397. dedit Venceslaus, Caroli filius, Borfwoium quendam, præfectum Bavariae & Alfatiae: anno autem 1403. dedit Rupertus Imperator Diethonem Fuchsum: anno 1442. dedit Imperator Fridericus Advocatum Gulielmum, Comitem Hennenbergensem, & civitates Imperiales, Norenbergam, Rotenburgum, Schvveinfordiam & Winsheimium: anno vero 1448. dedit idem Imperator Ebracensi monasterio Advocatos, Godfridum Herbipolensem & Antonium Bambergensem, Episcopos: duosq; Marchiones Brandenburgenses, Joannem & Alber-

ulstij

Chronologia  
Monasterio  
in Germania  
S. III



Albertum fratres. In his omnibus colligendis iuvit me ejusdem loci œconomus, aut, ut ipsi vocant, subburfarius, venerabilis ac humanissimus vir, Dominus Wolffgangus Hettsehuchius, in cuius gratiam (sumta de ejus nomine ac officio occasione) tale lufchediasma de S. Wolffgangi Episcopi imagine.

*S. Wolffgangi I-mago, quid significet.*

*Boni Episcopi officium.*

Wolffgangum quoties Divum veneranda vetustas  
Pinxit, ita hunc pinxit, gestaret ut ipse securim  
Dextra, sed le-va templum cum turre decorum.  
Hac pictura equidem voluit nihil ipsa vetustas  
Significare aliud, quam quod pastoris honesti  
Pontificisq; pii summum est super omnia munus.  
Is semper templum debet gestare sibiq;  
Commissum populum doctrina pascere sana,  
Nec curas alias animo gestare priores.  
Deinde securi etiam sordes resecare pudendas,  
Quicquid & arboribus teneris plantisq; nocere  
In vita posset, studio debebit eodem.  
Nomen id ergo tuum merito, Wolffgange, tenebis,  
Si (quod te nomen monet) hoc facies quoq; cura  
Atq; pari studio, pietate fideq; perenni,  
Ut facis, œconomi tibi dum cura incubat ingens,  
Noctes atq; dies dum pro vidus omnia recte  
Ac summo studio facis, ut di- vina coruscent  
Ipsa ministeria egregia: victusq; super sit  
Omnibus ad votum, quos hic habitare Deorum  
Rex voluit, quòsq; huc contingit sepe venire.  
Faxit Olympiacus pater, ut feliciter isti  
Atq; diu presis domuiq; larig; perenni.

**E**DELSTETUM, quasi nobilis locus vel nobilium puella-  
rum locus, aut, ut in quibusdam vetustis chartis legi, Ottilin-  
stetum, Canonissarum liberarum & ab omni professione ac re-  
gula immunium, in Suevia pulcherrimum collegium, Ursper-  
genfi cenobio vicinum, medio ferè itinere inter Augustam &  
Ulmam, Sueviæ urbes, in quo omnibus virginibus liberum est  
egredi